Rolińskí franciszk: Quaestio de apoplexia.

QVÆSTIO
DE
APOPLEXIA.

A

M. FRANCISCO ROLINSKI

Medicinæ Doctore, publicè ad disputandum

Pro loco inter Medicinæ Doctores,

IN

ACADEMIA CRACOVIENSI,

obtinendo,

IN COLLEGIO IAGELLONIANO,

LECTORIO DD. THEOLOGORVM.

Anno 1642. Mense April. Die 5 Horæ 13

PROPOSITA.

CRACOVIÆ.

Typis Francisci Cæsarij, Anno Dñi. 1642.

IN ARMA DOMVS ILLVSTRISS.



Hermum, Pactolum, Gangemque Tagumque relinquas
Fama: LVBOMIRSCI sat tibi Flumen erit.
Quô non tempestas auri; sed Numina tranant,
Pallas, Mars, Charites, Consus, Apollo, Ceres.

ILLVSTRISSIMO D.
DOMINO,

GEORGIO SEBASTIANO, LVBOMIRSKI.

COMITI IN WISNICZ.

Sandecensi, Scepusiensi, Dobcyceń. Grybouieñ. &c. &c.

CAPITANEO.

Domino & Patrono Colendissimo.

M. Franciscus Rolinski, S. & F.

NON peccaui, Comes Illustrissime, quòd in hoc Medicarum mearum disquisitionum vestibulo nomen Tuum adoro; & te, tanquam Solem orientem, hemisphario præsentis quæstionis præfi-

 cio

cio ac veneror. Non enim alteri conuenientiùs ista debebantur, quàm Tibi, qui & literatorum amore continuo exardescis, & literarum cognitione, non tantùm Tui æquales (in hâc, quâ feliciter nauigas, classe) facilè superas, sed plurimos etiam maturiorum annorum prudentiâ conspicuos, ponè relinquis. Declarant id luculentissimè, cùm virtutum Tuarum in Rempub. merita, tùm negotiorum quà togâ, sagoq́, quà foris domiq́ expediendorum promptitudo. Testis est huius rei, vel inprimis Venerandum Comitiorum Augustale, & vndiq́ illuc confluentium Quiritum turba, quæ Te, Tuamq́ solidam industriam, eruditionis scipione firmatam, in publico omnium theatro admirata est: testis & conscia integritatis Tuæ Patria, quæ Te legum ac altiorum subselliorum Trib. custodem incorruptum notauit: testis ingens, ad omnes occasiones, contra insultus barbarorum, animus: &, quod ego peculiare cum admiratione considero, magna ingenij Tui ad omnia seria, & festiua dexteritas, atq́, ad acutè, respondendum celeritas: vt mirum sit, quomodò in tenero corpore, tam magni, & veloces contineantur spiritus. Sed facit hoc propitia naturæ benignitas, vt minora corpora maiores gerant animos, & ea quidem

feli-

felicius expediant, quæ mole sua Herculis magnitudinem superare videantur. Quippe Magni Patris Tui, cuius Tu proximè premis vestigia, hoc Tibi prælibant exempla, & ad ardua gerenda regiam commonstrant viam: quatenùs virtutum recto tramite, quem semper tenes, insistens, Maiorum tuorum Domum in dies amplioribus cumules ornamentis, quam Diuûm prosperitate in tantam maiestatem, euectam esse videmus. Longè lateq; patet nominis vestri gloria, nec iam cælo Sarmatico continetur, sed præterquàm quòd vicinorum Europæ Regum, ac Principum societate, amicitiaq; glorietur, vltra Pontum & Gades celebritate famæ diffunditur: hîc virtutum & inuicti animi magnitudine constantiam præferendo; illic, victoriarum & cladium numero, terrorem cum dolore refricando. Quæ omnia & singula cùm ego examinarem, & meam Tecum aliquoties habitam de reconditis, cùm naturalis, tùm aliarum scientiarum dissertationem repeterem, temperare mihi non potui, quin has lucubratiunculas Medicas, vel vnicam hanc animi testificationem Tibi consecrarem. Fateor, non pro Tui nominis amplitudine forsan erunt, & tardiùs profectò, quàm vel ego desiderabam, vel splendoris Tui ratio postulabat; sed dabis

bis veniam , & partim id meæ deuotæ propensioni, cum lenitate coniunctæ condonabis, partim tuæ facilitati cum venustate sociatæ adnumerabis; præsentes has tamen grato animo acceptando, id quod ego te per tuam humanitatem rogo. Vale, & felix viue, non minùs patriæ charissimæ, prout cæpisti, quàm Patri desideratissimo, sicut hactenùs fecisti. Vtrumq; Dij sospitent; Patri, quantùm superuixit, adijciendo; Tibi, quod desideras, indulgendo. Cracouiæ 28. Martij, Anno 1642.

QVÆSTIO.

VTrum Apoplexia ſit repentina omnium functionum animalium priuatio, cum reſpiratione afflictâ: prouenienſ ab obſtructione ventriculorum, & meatuum totius cerebri; ne ſpiritus, actionum miniſtri, ad propria organa deferantur; recteque ex elicitis indicationibus per triplex inſtrumentum Therapeuticum curari poſſit, nec ne?

CONCLVSIO I.

Apoplexia eſt repentina omnium functionum animalium priuatio, ſolâ reſtante, licet multùm afflictâ, reſpiratione.

COROL-

COROLLARIA.

1. In Apoplexiâ priuatio animalitatis intelligitur, cùm homo repentè concidens, voce, ſenſu, motu totius corporis, ac principibus facultatibus, deſtituitur.

2. Apoplexia formaliter, nec eſt morbus, nec cauſa morbi, ſed Symptoma de genere actionis animalis ablatæ.

3. In quâuis Apoplexiâ neceſſariò reſpiratio laborat; à quâ reſpiratione magis vel minùs læsâ, *Galenus 2. aphor.* 42. colligit apoplexiæ 4. differentias.

4. Adeò ad conſeruationem viuentis facit reſpiratio, vt animal reſpiratione priuatum, nullatenùs viuere poſſit.

5. Etiam in acutiſſimâ apoplexiâ, nequaquam deficit ſpiratio, cùm ſpiratio à vitâ, & vita à ſpiratione non poſſit ſeparari.

6. Omnium acutiſſima Apoplexia eſt, quæ cum ſummo ſtertore ſpumam torquet copioſam.

7. Quatuor ſunt Apoplexiæ ſigna, vocis, ſenſus, motus, & mentis repentina abolitio: quibus ſtertorem frequenter adiungimus.

8. Caros licet maximàm cum apoplexiâ ſimilitudinem habeat, quia tamen ſenſum non de toto perdit, & reſpirationem liberiorem habet, ideò apoplexiæ nomen ſubire non poteſt.

9. Syncope, & hyſterica ſuffocatio cum apoplexiâ in Symptomatis conueniunt: quia tamen liberam reſpirationem habent, ideò apoplexiæ nomen, non merentur: vel, vt meliùs dicam, in apoplexiâ animalis, in ſyncope vitalis facultas opprimitur; hyſtericæ autem audiunt, & recordantur eorum quæ in paroxyſmo fiunt.

10. Epilepſia, apoplexia, & paralyſis non differunt inter ſe, niſi ſecundùm magis & minùs: nam in epilepſia ſenſus, & motus deprauatus, in paralyſi diminutus, in apoplexiâ abolitus.

CONCLVSIO II.

Apoplexia efficienter dependet ab obſtructione ventriculorum, & meatuum totius cerebri.

COROLLARIA.

1. Obſtructio, lato modo ſumpta, comprehendit ſub ſe compreſſionem, & ſubſidentiam, ex quacunque

cunque

cunque tandem causâ fiant: strictè autem considerata, supponit materiã humorosam & corpulentam.

2. Subiectum apoplexiæ, primariò est cerebrum secundum ventriculos & suos poros, consequentèr autem totum corpus.

3. Licet ex Hippocrate, & Galeno frequentissimè credatur, fieri apoplexia ex pituitâ; non inficiamur tamen ex alijs humoribus commodè generari posse: indè minùs aduertisse Fernelium, & Cardanum, viros aliàs doctissimos, hunc, quòd nonnisi ex melancholiâ, illum quòd tantùm ex pituitâ, apoplexiam fieri crediderunt.

4. Non quæuis pituita apta est producere apoplexiam, sed quæ sit crassa, viscida, lenta, non serosa: si Vesalio tantùm credendum est, *lib: 1. d. fabr. hum. corp. cap. 5.*

5. Melancholia ex Hippocr. doctrina *6. aphor. 56.* plerumque apoplexiam producit, bilem tamen ineptam esse censemus.

6. Sanguis copiosus in vasa cerebri irruens, eaq; tendens, & substantiam cum poris, & sinibus comprimens, dubiô procul, apoplexiam sanguineam inducit, quam iuuenes, & plethorici incurrunt.

7. Inflammatio cerebri si fuerit maximè aucta, interdum apoplexiam facit: inde phrenitis & lethargus aliquando in apoplexiam terminantur, quô tempore febrem habet comitem.

8. Vapores quicunque interni & externi venenati, siue non venenati fuerint, apoplexiam frequenter inducunt: vnde à carbonibus ignitis, per experientiam miserè apoplecticos mori sæpè videmus: par ratio est de parietibus nouo cæmento obductis.

9. Quæcunque cerebri substantiam vehementer concutiunt, apoplexiam causare consueuerunt, vt sunt, percussio, ictus, valida cerebri ad durum corpus alisio.

10. Quibus caput graue frequenti sopore tentatur, & corpus pigrescit, oculi tenebris offunduntur, hi apoplexiæ sunt obnoxij: maximè autem senes, pituitosi, & crapulæ addicti, plethorici, qui breui angustaque sunt ceruice.

CONCLVSIO III.

Spiritus animales in apoplexiâ ad propria instrumenta per neruos non deferuntur.

COROLLARIA.

1. Spiritus omnis, quia eſt exhalatio ſanguinis tenuiſſima, corporeus ſit eſt neceſſe.

2. Spiritus dupliciter conſideratur, aut quatenùs eſt corpus phyſicum, & propriâ formâ regitur, aut quatenus animæ inſtrumentum.

3. Spiritus in triplici differentia eſt, Naturalis, Vitalis, & Animalis.

4. Naturalis ex vaporoſa ſanguinis benignioris ſubſtantiâ in hepate generatur; vitalis, ex eôdem vapore ſanguineo in ſiniſtrum cordis ventriculum delato, fit, qui poſteà ad cerebrum elatus, turbulentoq́; feruore, quem à corde acceperat, ſtabilior redditus, animalis euadit.

5. Naturalis cum ſanguine per venas ad nutritionem; vitalis per arterias ad viuificationem; animalis per neruos ad ſenſum, & motum, omnibus partibus ineſt.

6. Licet ſpiritus ex ſe conſequenter ordine generentur, multùm tamen inter ſe differunt: quantùm enim naturalis à vitali, tantùm vitalis ab animali, tenuitate differt: naturalis vaporem æmulatur, vitalis aëreus eſt, animalis planè æthereus.

7. Vapor ſanguinis benignioris in iecinore natus, quoniam vitali, & animali ſpiritui materiam generationis ſubminiſtrat, iure meritô primus generatione ſtatui debet.

8. Animalis ſpiritus materia, eſt portio tenuiſſima vitalis, cum aëre permixta, per carotidas, & ceruicales arterias in cerebri baſim, indeque in ſuperiores ventriculos, delata.

9. Errant, qui ſpiritum animalem, propriam formam acquirere in plexu ſuperiore, putant: fruſtrà enim tot plexus, ac ſinus alios feciſſet in cerebro natura. Ac proindè prima eius præparatio, in plexibus fit ac ſuperioribus ventriculis; coctio & elaboratio in tertio; perfectio in poſteriori; tandem diſtributio in vniuerſum cerebrum, & neruos diffunditur.

10. Spiritus animalis, quoniam tenuiſſimus eſt, non vtique neruos patentes, ſeu cauos deſiderat, ſufficit enim, vt ſenſim illabens, poſſit neruos irrigare, ſeu irradiare.

CONCLVSIO IV.

Apoplexia ex elicitis indicationi-

bus per triplex instrumentum Therapeuticum curatur.

COROLLARIA.

1. Apoplexia, præter communia Indicantia, supponit particularia præsidia dolorifica; ratione sensus ablati.

2. Reuellentia omnia hîc locum habent: vnde ligaturæ fortes, frictiones asperrimæ, clisteres acerrimi, cucurbitæ cum magno igne, sine & cum scarificatione &c. sunt ad propositum.

3. Omnis apoplexia est periculosa, ex Hipp. doctrina: tantò autem periculosior, quantò maiorem stertorem cum spumâ habuerit coniunctum.

4. In quâuis apoplexiâ, viribus, ætate &c. permittentibus, sanguis per venæ sectionem est detrahendus; idque eò ardentiùs faciendum, & copiosiùs subducendum, si ex sanguine ortum habuerit, vt in plethoricis.

5. Vesicantia commodè in hôc morbô adhibentur; nunc remotioribus partibus, vt in principio; nunc propioribus loco affecto, vt in progressu.

6. Ignis actualis cum ferro candenti, rectè admi-

nistrari potest, non tantùm, vt materia dolorifica, sensum ablatum reuocans; sed vt materia, quæ attrahit ratione doloris & caloris.

7. Alterantia interna & externa, quæ non minùs crassos humores attenuant & resoluunt, quàm partem corroborant ad expellendum, in vsum duci possunt: vt sunt syrupus de Stæchade, mel anacardinum, magnæ antidoti &c.

8. Propter præceps periculum, coctionem humorum non expectamus; tùm ne humor lentus ex morà magis impingatur, tùm ne homo citò moriatur, nisi subitò vacuetur: plùs enim potest materia caput petens, quàm possit cruditas. Purgandum autem in valdè acutis eâdem ipsâ die &c. *vt inquit Hippocr. 4. aphor 10.*

9. Electiuè purgantia, eaq; generosa probantur; prout sternutatoria acria, apophlegmatismi & errhinna valentia, ac amara.

10. Victus apoplecticorum debet esse, aut nullus, aut sanè tenuissimus.

FINIS.

Sub felicibus auspiciis, Perillustris & Magnifici Domini, D. ADAMI OPATOVII, S. T. D. & Professoris, Canonici Ecclesiæ Cathedr. Crac: Academiæ Generalis

RECTORIS.